

## Octauus phisicorum.

tur elementa inceperunt. Item vna pars elementi incipit ergo totum potest incipere et est generabile. Tenet consequentia quia alias totum et pars non essent eiusdem speciei in elementis. Corruptibile enim et in corruptibile genere differunt. Item dicitur. s. t. ubi supra ex ipso iob et alluione paulati terra consumitur sed terra non est infinita. Si ergo mundus fuisset ab eterno. terra esset consumpta. Item videmus quod successu temporis vita hominum abbreviatur ita quod non tam diu viuunt sicut antiqui patres vixerunt. ergo tandem hominum generatio potest deficere sed hoc nichil valet quia. S. T. de malo. que. 5. ar. 8. ad. 11. dicit homines nunc ita diu viuere sicut tempore dauid ut patet ex psal. Si autem in potentatibus octoginta anni. indi ut dicit strabon viuunt. 130. annis sed contra homines successu temporis semper sunt minores ut patet. 4. esdre. v. ergo minus viuunt. Item productio mundi vel fuit subita vel successiua. Si primum ergo fuit in aliquo instanti et non in instanti eternitatis ergo in instanti temporis. ergo non fuit ab eterno. Item secundum philosophum. 1. celi omne eternum a parte ante est eternum a parte post sed totus motus celi usque hodie non est eternus a parte post ergo nec a parte ante. Item secundum eum totus motus preteritus est pertransitus cum sol durauerit per totum motum preteritum ergo totus motus futurus poterit esse pertransitus cum sit eiusdem speciei. Item omne tempus est mensura et numerus ergo omne tempus est finitum quia omne quantum et numeratum est finitum sed dubitatur an omne quod est in tempore excedatur ab eo sicut dicit philosophus. 111. phisicorum. videtur quod non quia mensuratum aliquando est equale linee: omnis etiam motus est in tempore si ibi equali nisi forte instes de motu eterno sed ille non mensuratur. Item si mundus fuisset ab eterno non haberetur quid scriberetur in cereo paschali quia numerus ab initio mundi scribitur in eo et Epacte computantur secundum excrescentiam annorum lunarium super annos solares. Sed talis excrescentia computari non posset si mundus esset eternus. Sed dicitur. S. T. quo. 111. ar. xxxi. quod hec argumenta verisimilia sunt et ideo predictae rationes non sunt demonstratiue. Est aliud argumentum supra tactum scilicet de infinitis animabus si mundus fuisset ab eterno ad quod quidam dux mauritanie Abonizer dixit quod post mortem manet intellectus anime et continuatur intelligentibus et ex omnibus fit vnum ut narrat albertus ca. xii. tractatu primo istius octauus. Sed queritur an deus cognoscat primum instans in quo potuit mundum creare. Respondet. s. t. quo. v. ar. j. quod non est dare primum instans in quo deus potuit facere mundum. quia quocumque dato adhuc ante illud deus potuit mundum facere. Sed queritur an sicut motus aliquando incipit ita aliquando desinet. Respondet. S. T. hic lec. scilicet a quod aliqui motus semper erunt in hominibus beatis vel damnatis et ibidem subdit quod quidam frustra conati sunt ostendere aristoteli non esse locutum contra fidem quantum ad mundum inceptum. unde quidam dixerunt quod aristoteles solus voluit ponere rationes nichil asserendo. Sed contra ipse videtur perpetuitate motus quasi principio ad probandum primum principium esse ut patet tertio decimo methaphisice.

Quidam querunt an propterea sit dicendus hereticus. sed hec questio friuola est. sed loquendo de motu celi an sit contra fidem quod ille sit perpetuus a parte post. Respondet petrus de palacio. i. quarto sententiarum. d. xlviij. q. ij. quod absolute tenendum est quod motus celi postre-

surrectione cessabit quous illud non potest. clare probari nec per auctoritatem scripture nec aliqua ratione necessaria. Quidam hoc probant quia habito sine cessat motus ergo completa generatione quod fiet quando numerus electorum erit completus cessabit motus. Sed contra magis nobile non est propter minus nobile ergo celum non est propter generationem istorum inferiorum quia celum est incorruptibile et per consequens est nobilior istis inferioribus. Sed de hijs. S. T. de po. q. v. ar. v. sed an materia secundum aristoteli sit generabilis videtur quod sic ex v. phisico. quod generatur non est et loquitur de materia que est ens in potentia quidam dicit materiam moueri per accidens quia rarefit vel est pars calefacti sed dubium est de potentia subiectiua motus et an in calefactione sit materia vel compositum quia neutrum est eiusdem generis cum motu. Item materia non est separabilis ab ea cuius est quia per hoc differt a loco. 111. phisico. ergo corrumpitur quantum compositum corrumpitur.

Contra hec arguitur rationibus philosophi. quibus probat nec mundum nec motum nec tempus incepisse esse quia omne quod incipit esse antequam fuerit possibile fuit ipsum esse. Alioquin impossibile fuisset ipsum fieri. Si ergo mundus incipit esse possibile fuit ipsum fieri antequam inciperet. Sed quod possibile est fieri est a materia que est in potentia ad formam. Si ergo mundus fuit in potentia antequam fieret sequitur quod materia aliqua fuit ante mundum. Et ultra materia nunquam est sine forma ergo ante mundum fuit aliquod compositum ex materia et forma hic dicit albertus quod quidam ex defendentibus quod mundus incipit nomine Algazelus dixit quod omne quod incipit est in potentia cause efficientis sed non cause materialis et sic potentia qua mundus potuit esse antequam fieret fuit in deo benedicto. Sed contra arguit albertus ca. xi. quia omne quod incipit de nouo esse est prius in aliqua potentia cause materialis ergo antequam mundus fieret erat aliqua materia. Forte dicitur quod hoc argumentum concluderet nisi si fides esset in oppositum que dicit quod in principio deus creauit celum et terram. Sed contra. Illa auctoritas in sensu litterali exponitur de filio in diuinis sic scilicet quod in filio deus pater creauit celum et terram. Sanctus Thomas. prima parte. q. xlvj. ar. iij. ergo non est necesse eam exponere de principio temporis.

Secundo deus est potentie infinite et non agit per partem sue potentie sed per totam ergo producit effectum infinitum in duratione. Item creans et non creans sunt contradictoria. Si ergo deus ante mundum fuit non creans et postea fuit creans sequitur quod est mutatus ut arguit moyses egypti. Et recitat albertus magnus hic ca. xi. Quidam querunt an hec est vera deus fuit ante mundum quia deus non est nisi in sua eternitate que non precedit creaturas sed est simul cum eis. Item ly fuit importat preteritum sed in deo nil est preteritum.

Tertio. Creatio diuina est eterna ergo et effectus eius scilicet mundus. Ans patet quia est ipse deus et consequentia probat quia mouens et motus sunt simul. Item ut recitat albertus ma. 111. phisicorum. Auerrois hoc probat quia si aliquando hic non fuisset mundus sequeretur quod aliquando fuisset vacuum ubi nunc est mundus quia nullum ibi erat corpus.

Quarto nichil de nouo incipit mouere nisi aliter se habeat quam prius quia non esset maior ratio quare nunc moueret plus quam prius ex quo eodem modo se habet si ergo deus in certo tempore incipit face-